



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 87. Gallorum victoriæ de Hispanis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII.  
A. C. 1655.

§. LXXXVII.

*Gallorum victoriæ de Hispanis.*

*La Hode vie  
de Louis  
XIV. l. 18.  
Daniel Hist.  
de Franc.  
tom. 10.*

Interim Bellum Gallos inter & Hispanos hoc item anno acriori quam usquam, furore continuatum est, quantumvis uterque Rex pro sua, suorumque tranquillitate honestam exoptaret pacem: cum vero Lotharingicæ copiosissimam partem ad Gallorum signa transfirent, imo ipsemet Franciscus unus Lotharingicæ Dux cum toto exercitu Hispanas partes relinqueret, Gallis ferme ubique adversus eosdem prospero Marte pugnabant, & quidem Continus Princeps capto Chierio Castellionem expugnavit, Hispanosque Catalonia a Celsonæ Urbis obsidione repulit, & paulopost Vindocinensis Ducem prope Barcinonem Hispanam classem dispersit: nec minus secunda belli fortuna Gallis in Flandria affulsit; postquam enim Turrenius Franciæ Marescallus cum triginta duobus armatorum milibus eo moverat, Landrecium post vigesimum quartum obsidionis diem deditione cepit, expugnatisque Condatis & oppido sancti Gisleri Castelletum armis & natura munitam urbem iterato impetu in Regis sui potestatem redegit.



His successibus ad majora stimulatus sæc. XVII.  
 juvenis Rex Ludovicus, die secunda A. C. 1655.  
 Novembris cum Cronwello Angliæ Pro-

tectore armorum societatem adversus  
 Hispanos pepigit, ea lege, ut Cron-  
 wellus Gallis sex armatorum millia sup-  
 peditaret, Rex vero Anglis Duncker-  
 kam redderet, utque omnem minus  
 sinceri foederis suspicionem Anglis a-  
 moveret, Henrieta[m] Caroli I. Angliæ  
 Regis Viduam Regno natali unacum  
 toto suo comitatu excedere jussit, quam-  
 vis ipsius Ludovici XIV. Galliarum Re-  
 gis Matertera, Ludovici XIII. Soror,  
 & Magni Henrici IV. Filia fuisset: insu-  
 per Franciæ Rex pollicebatur, quod  
 Carolo II. ejusque Fratribus haud ultra  
 asylium in Regno suo concedere velit.  
 Ita ferme nulla Regii sanguinis ratio  
 habetur, ubi vel imperii fines proten-  
 dendi, vel æmulam potentiam oppri-  
 mendi spes fovetur. Ceterum postea Gallis  
 adversus Hispanos fortuna parum aspi-  
 rare videbatur, quamvis enim Turre-  
 nius anno sequenti Capellam urbem re-  
 cuperasset, a Valentiana tamen obsi-  
 dione cum ingenti damno Galli re-  
 pulsi, Condatum vicinum oppidum  
 dedere cogebantur: etiam Quercetum  
 amissuri, nisi Regis præsentia fuisset  
 servatum: in Flandria tamen  
 Galli Valentiam ad Padum post  
 S 5 diu-



Sæc. XVII. diuturnam obsidionem expug-  
 A. C. 1655 runt.

## §. LXXXVIII.

*Alexandri VII. Pontificis Maximi  
 sollicitudo pro conciliandis Prin-  
 cipibus Christianis.*

*Bull. magn.  
 Constit. I.  
 Alex. VII.* **M**agis gloriosam, magisque Christi-  
 ano nomini dignam victoriam re-  
 portabant hoc anno Veneti de Turcis  
 quos ad Sestum & Abydum magna  
 clade represserunt: nec tamen adeo  
 copiosi erant hujus expeditionis fructus  
 ut Cretensem Insulam a tam truculentis  
 ac communi Christianæ Reipublice  
 inimico liberandi firma spes esset, præ-  
 cipue cum Catholici Principes inter se  
 discordes cruentis bellis, ac copiosius  
 Christiani sanguinis effusione se invicem  
 depascere. Ea res intimo doloris  
 sensu paternum Alexandri VII. Ponti-  
 ficis animum laniabat, eapropter die  
 decima quarta Maji solennes Anni festi  
 gratias omnibus Christi Fidelibus in-  
 dulsit, ut sedatis inter Principes Orbi  
 doctos dissensionibus, amissa pax Orbi Chri-  
 stiano restituatur. Hunc in finem in-  
 pense cunctos & singulos hortabatur  
 quatenus Dominum Deum exorent, ut per  
 viscera misericordie suæ fidem Catholicam  
 protegere, ab hostium conatibus & insidiis  
 defendere.